

10
Geniale Rusculum

JUCUNDIS

ET IN MODUM EPI-

GRAMMATUM ROTUNDIS SEN-

tentiis gratâ varietate confitum, & ad poscendas inde

cupidis deliciarum poëticarum animis & coëpulonibus

epidipnidas spe facilioris concoctionis instructum;

& cum lætis Musarum cultoribus

communicatum,

à

MATTHAEO ZUBERO, NEU-
burg. ad Istrum Palatino, P. L.

P. PAUL. VIRGIL. DE LIB. STUD.

*Præclara est supellex librorum; & jucunda familia, certè
frugi & bene morigera: non obstrepit; non inclamat;
non est rapax, non vorax; non contumax: jussi loquun-
tur, & iterum jussi tacent; semperq; ad omnè imperium
presto sunt, à quibus nihil unquam, nisi quod & quan-
tum velis, audias.*



Norimbergæ,

TYPIS SIMONIS HALBMAYERI,

M. DC. XXII.



TERENTIUS.

Nunquam ita quisquam subductâ ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi prima putâris, in experiendo repudies.

PLINIUS.

Qui posteros cogitant, & memoriam sui præclaris extendunt operibus, his nulla mors non repentina est, ut quæ semper aliquid inchoatum abruptat.

AUTOR RUSCULI.

ἢ γῆμῶν ἁρῆσις, πῶδ' ἄλειν ἐπὶ αἰσῆ.

HTCA

U/Bc LEG 16-2 n11266



5>0 0 0 0 5 8 9 0 6 1



*Spectatissimo, Jurisprudētissimo & subactissi-
mi iudicii Viro,*

**DN. GEORGIO ZESCHLI-
NO, LAVINGANO, SERENISS.
Princ. ac Domini, DN. WOLFG. WILHELMI,
Com. Pal. ad Rhenum, &c. Inclytæ item Provinciae
Principatûs Neuburgici Consiliario Primario,
& Thesaurario Integer-
rimo:**

DOMINO AC PATRONO SUO
benevolentissimo summeq; honorando,
Εὐνητέγνωγε δινυεξίς.



Octus, in omni civitate Civis est; in-
quit Theophrastus. Commodè jam
sedeo, & ô tam commodè valeam. Si-
luerunt diu meæ Camænæ, sed nec mi-
rum, præcentorem non habere For-
tunam. Vernis aurâ refectæ salubriori exstimulan-
tur à volucris, & à vivificò sinceri tui favoris calo-
re iterum accenduntur, quem tu nunquam, scio, ex-
stingui patiêre: partim quòd à primo amicitiaè no-
stræ rudimento ingenuè tibi, quâ in illustri Lauinga-
nâ, quâ in Academiis, voto & facto in omni me accô-
modavi: partim quòd nullum tibi facessitur negociû
de hujus aut illius ingenio judicare instituenti, ut ita
velut physiognomon mihi videare: quo ipso etiam
nomine hodieque tibi cariotem me esse, multi sunt,

forti-

fortiter qui asserant. O me hac voce beatum! De qua
 ut salvi adhuc reliqui mei apud externos amici publicè
 mihi queant gratulari, de ea quandã necesse est auditi-
 onem (ita enim pereleganter dicit eloquentiæ pater
 Tullius) accipiant: quod auspiciatò existimabam me
 facturum, si nobili & perquàm spectato tuo honori
 meum Rusculum Geniale (quod sic inscribere allu-
 bitum erat) dedicarem: cum quo tu austerè & Stoï-
 cè non ages, sed Rulandicâ excipies benevolentia:
 quandoquidem novisti, ejuscemodi beneficia trabali
 me clavo figere, vel, ut eandem phrasin Cicero diser-
 tiùs exprimit, adstrictum esse memoriã beneficii sem-
 piternã. Minabar olim tuo clarissimo nomini me-
 am Rosibellam: verùm hæc dignior est, & suspensio
 procul gratior tibi materia, certè tuæ dignitati con-
 venientior: quæ etsi suã sæpe sic me alligavit benefi-
 centiã, ut nesciam, quã me exsolvam ratione: confi-
 do tamen, quòd typorum etiam ingravescunt pretia,
 brevitatem hanc auctoritati tuæ nullas allituram esse
 sordes. Si Deus, aut terrenus aliquis Plutus ramos mi-
 seriarum mearum aliquando mihi amputet, animo
 excubabo, ut potiori tuam demerear gratiam, cui me
 commendo, apud Serenissimum Ptincipem gratiofo,
 apud cæteros in pondere. Vale, Excellentissime Do-
 mine, Thesaurarie fidissime. Dab. Norib. 8. Apr.

1622

MATTHÆ. Zuber/ P. L.



Sol, & Virtus.

NON est minor, nec est serenotardior,
Quoties Apollo lucet inter sidera.
Sic detrahunt opposita Virtuti nihil,
Quæ non minor, tantummodò eminet
Eadem sibi, latentis instar Cynthii, (minus.
Exercet occultè suam potentiam.

Epistolæ Divinæ.

EPistolæ ter sunt legenda Principum:
Epistolæ verò Dei infinities.
Nam comprahendi ab indole humanâ statim
Divina nequaquam potest Sapiëntia.
Obiter legens, dulci nequit nucleo frui.

Adam & Christus.

NON tantum Adamus in suo potuit malo,
Quantũ suo Christus Redemptor in bono.

Creatio rerum, & Justificatio.

MAGNUM Opus est, Cælos & Terras condere:
majus
Est, peccatores justificare Deum.

DEI Electio.

Dignos Deus non eligit Iustissimus:
Quos eligendo Ille eligit, dignos facit.

DEI Præscientia.

VT memoriâ nullus suâ, quæ facta sunt,
Facta esse cogit: præscientiâ suâ
Futura sic faciendâ non cogit Deus.

Sapientis conscientia, Bonum
ejus unicum.

Fructum suæ virtutis & solertia
In conscientiâ suâ Sapiens locat:
Quisquis minus perfectus est, in gloriâ.

Notitia DEI, prior est cultu.

Prius est, Deum novisse: colere, consequens.
A sensu enim venimus ad cultum rei.

A DEO discendum, quid sit DEUS.

Intelligendum de Deo quid sit, Deo
Discendum ab uno: quia Deus nullo nisi
Autore se cognoscitur verissimè.

Vita Christi.

CRux & Martyrium Christi fuit integra vita.
Hoc quid in orbe tibi gaudia quæris, homo?

Cæsar

Cæsar limitatus.

Utilia huic vitæ dat privilegia Cæsar:
In caeleste homini jus dare nulla potest.

Psalterium Davidis.

Davidis nemo sacros intelligit hymnos,
Illorum qui non affectûs induit antè.

Corporis passio, animæ salus.

Exterior cruciatur homo divinitus, ut sic
Interior requiem possit habere suam.

Mors Christi.

Mors pro omnibus Christi quidẽ pretiõ valet,
Sed efficaciã merè credentibus.

Διάχρησις τῆς ψυχῆς.

Quum possit occidi anima nulla, quatenus
Anima est, modò ista spiritali occiditur.

Αργυρολόγχα.

Argenteis pugnare quos hastis juvat,
Ut vicerint, vicisse se minimè putent.
Victoria hæc victoria larva est mera.

Generale verbum nemini infert con-
tumeliam.

In vitia quando scribitur sine nomine,
Quicumq; succenset, sui accusator est.

A 4

Præ-

*Prudens homo, licet dolorem sentiat
In corde, dissimulat, suiq; nubilum
Animi serenitate frontis indicat.*

Pugna, & Pax.

P*ugna optima est, quæ proximos facit DEO:
Pax pessima est, quæ nos ab ipso separat.*

Rex frugalis, Regni est ærarium.

M*agnatum opes, securitas sunt civium.
Qui sunt boni, ultrò conferunt Ærario.*

Pii Usus.

T*ransferre ad usûs hoc prophanos non decet,
Quidquid semel Pii dicatum est Usibus.*

Injurix oblivio.

O*blivioni quando das injuriam,
Mercedem habes primam è tuâ Patientiâ,
Tui alteram fratris medelâ percipis.*

Sensûs Majestas in Bibliis.

A*D Majestatem sensûs composito mentem,
Quando Scripturæ vilia verba legis.*

Collatio magnitudinis per lemma.

M*odum unaquæq; magnitudo certum habet:
Aut tollit illam, aut deprimit collatio.*

Taci-

Taciturnitas, & Oblivio.

Taciturnitas nostræ potestatis quidem est,
Sed non item rei patratæ oblivio.

Avium volatus *ἀπώλυτο* sensu alle-
gorico. (tum:

Nemo potest avibus superum prohibere vola-
Sed ne nidificent vertice, quisq; potest.

Athleta suggillatus.

Athleta, qui non antè suggillatus est,
Vix pugilicum ad certamen adfert spiritū.

Famelicus Venter.

Famelicus præcepta venter negligit:
Verumtamen non est molestus creditor:
Dimittitur parvo, modò illud des ei,
Quod de necessitate debes, non potes.

Pauperum in Rempub. stipendium.

Si pauperes prolem suam bene educant,
Stipendii satis Rei dant Publicæ.

Gluto, & Pluto.

Porcillum amat gluto suum, quò tandem edat:
Sic Pluto filios suos, quò destruat.

A S

Impuni.

Impunitas, scelerum anfa.

Qui peccant impune, magis peccare jubentur:
Peccandi statuatur cum sibi nemo modum.

Σχολαίονα, φίλῳ ἀκαρπῳ.

Amicus ociosa res est, omnia
Secunda si vita ipse tu praestes tua.

Aula, Venti Campus.

Auditu qui magna levi transmittit, haberi
non debet Princeps: formam facit inde soluta
Imperii, & Venti Campum pro nominat Aulam.

Doctores, & Laureati Poëtae.

Quot sunt Doctores hodie vincitque Poëta
Daphnide, tot muscas nulla culina capit.
In gradibus non est ullum discrimen, at in re.
Sic pra alio famam consule consult habet.

Decedit pater, in illa relinquens
maritam.

Haud decedit ἀπαύς, cuiusque relinquitur uxor,
Dulcia quae gravido pignora ventre gerit.

Dignitatis Concessio.

Iurè is gradu antecedit aliquo ceteros,
Labor anteire quem facit prolixior.

Casti-

Castiga populum, Principem
mone.

Castiga populum, si quando exorbitet: at si
Erravit Princeps (nāq; homo & ipse) mone.

Meritrix, & Balneator.

Meritrix eundē & Balneator morem habēt:
Apud hūc & illā & improbus simul & probus
Se vase purgant ex eodem, immō inquinant.

Curiositas, impudicitia fenestra.

Multa, quid esset amor, factura puella piclum,
Ingenuae spolium virginitatis erat.

Honestum est in secundis aut tertiis
consistere.

Ad prima sicui vota non patet aditus,
Herere si potest secundis, hereat,
Aut tertiis, ad prima donec Sors vocet.

Judex, alienae voluntatis servus est.

Veniam nequit peccantibus Iudex dare,
Quoniam voluntatis aliena servus est:
Solutus potest autem Deus, Legis sua
Quia ille dispensator est & arbiter.

Christiani captivitas.

Nil Christiano incommodat captivitas:
Intra invenit, quod extra adorat carcerē.

Audi-

Auditor, & Prolator.

Auditor est verbi Dei securior:
Prolator est periculo vicinior.

Ignorantia juris.

Excusat facti, non ignorantia juris:
Ius omnes; nemo scire omnia facta tenetur.

Peccati & canis αὐτὸ ἐξέτασται.

Ferocius peccata nobis, quò magis
Blandimur, insultant, cani similia: quem
Si persequare, abit; manet, si nutrias.

Princeps avarus.

Princeps avarus occupat Bona omnia,
Non ut fruatur ipse, quippe non potest
Frui omnibus, sed ne quis alius occupet.

Cæci solatium.

Tum mentis oculi perspicacius vident,
Quum corporis vitiata hebescunt lumina.

Præcox.

Cui properè venit ante pilos sapientia rerum,
Est in principio vir sibi, sine puer.

Prodigum, ne fac œconomum.

Qui se suis elavit omnino Bonis,

Idem

*Idem ob periculum tuis ne præfice:
Prima ad rapinam cogitatio est ei.*

Æs adulterinum.

E*X fletibus quod subditorum profluit,
Æs est adulterinum, & ipsi fisco obest.*

Anima disputatrix.

N*Ostra anima multum disputat de cæteris,
Sed qualiter sit ipsa facta, nescit hoc.*

Idola.

I*Njuriam ut non sentiunt ortus sui
Idola: sic nil de sui cultu sciunt.*

Deus, & Lux.

R*Es nulla lucem illustrat, ipsa illustris est:
Sic se Deus solus potest cognoscere.*

Principis sedes, populus.

N*Ascitur excellens virtus à Principe, verum
In populo sedem debet habere suam.*

Aliud est vivere, aliud esse.

Q*uisquis diu vixit, nec ad mores bonos
Profecit, haud vixit diu; diu fuit.*

Aulica Pieras.

N*emo potest tūidis sine palpo vivere in Aulis:
Heic etiam Pietas cogitur esse levis.*

Aulos

S*Vi antevertit Iudicis sententiam,
Qui morte se condemnat ipse perdit a.*

Veritatis triumphus.

D*E veritate tempus haud triumphum agit,
De tempore potiùs triumphat veritas.*

Infelix, quando sit felix:

I*Nfelix, isto tantum est sibi tempore felix,
Felices homines quum cecidisse videt.*

Draco, & Invidia.

P*Ar est draconi invidia: raro dormit is:
Nec hæc facile hominem sinit quiescere.*

**Amantium iræ, amoris est redin-
tegratio.**

C*Lariùs effulget post nubila Phæbus Olympo.
Post lites major sæpe resurgit amor.*

Impuber, testis idoneus.

I*N Majestatis læsa si crimine testis
Impuber fuerit, sat idoneus esse putatur.*

Mali permissio.

I*Nterdum, & alicubi, malum permittitur,
Majus caveri quò per id queat malum.*

Leges

Leges sunt similes aranearum
telis.

Leges sunt similes operis, quas filat Arachne:
Impediunt muscas: impete crabro secat.
Sic raro dives gladio punitur adulter:
In tennes Legum dirius ira furit.
Sic infelici fur parvus in arbore pendet:
Præ magno debet plebs aperire caput.

Effectu doce, qui sis.

Prodest parum, jungi Deo almam per fidem,
Ab eo malis si moribus disjungimur.

Clerici Pœnitentia.

Gravissima ipsa pœnitentia Clerici est.
Namq; esse iudex cæterorum quum velit,
Sui erubescit criminis fieri reus:
Nec, quòd quidem peccaverit, valdè dolet:
Confunditur, quòd gloriam amisit suam.

Boni possessio.

Bonum minore possidetur gratiâ,
Quod gratiam cum proximo non dividit.

Αυτεξουσίῃς Dei.

Uni Deo licet; Deo quidquid libet:
Deo tamen nihil libet, nisi quòd licet.

Lanistæ.

Pleriq; sunt hœc lanistæ seculò,

Ex.

Exerceant crudelitatem quò suam.

Ars ipsa honesta aliàs, trucem iram promovet.

Præsul in Ecclesia.

A *Vtoritatem literarum præferat
Præsul sacrarum seculari industria.*

Syntaxin, haud Episcopi est, exponere:

Multò minùs, referre res gestas Iovis.

Angeli, & Virgines.

M *Inor Angelorum; Virginum victorias
Est major. absq; carne vivunt Angeli:*

In carne quum suâ triumphent virgines.

Vbi gentium autem ejusmodi sunt? nullibi.

Voluntas, sui Judex.

H *Abet nihil, nisi se, voluntas liberum.*

Quare, nisi ex se, judicari convenit.

Infamia loci neminem infamat.

S *Vbeat licèt latrinam Apollo, non tamen*

Inde inquinatur: sic bonum facilè virum

Probumq; non infamat infamis locus.

Θεοκάπηλοι.

Q *Vi lucra Religione de suâ solent
Sectari, eos verè latrones dicimus.*

Nam cultus istorum, Dei haud cultus, magis

Negotiationis est occasio.

Syllō-

Syllogismus.

Quod miles est egrotus in pugna, illud est
Oratione Syllogismus debilis.

Τὸ ἐρύθημα ἀνεπιτρέπτον, ἢ καὶ αὐτοκέλευσον

Iuris sui est, injussus accedit rubor,
Injussus idem abscedit: ipsa deniq;
Adversus hunc nil proficit sapientia.

Misera morionum felicitas.

Morio apud Reges & eorum saepe ministros,
Quam quisquam sapiens, premia plura capit.
Sed tamen & colaphis oneratur saepe molestis.
O miseras, a lapis quæ cumulantur, opes!

Συκοφάντης καὶ φιλοπευθής.

Detractorq; libes, cupidusq; auditor, Averni
Sub linguâ Regem portat uterq; suâ.

Orationis fiducia.

Oratio tunc accipit fiduciam,
Quum nulla contradicit ipsi pravitas.

Superborum ἀλληλομισία.

Vitiosus omnis diligit similem sibi:
Solut superbus odit elatum. unde fit,
Inter superbos semper ut sint jurgia.

Verbi contemptor divini.

Quam Corpus est Christi, minus Verbum
hæud Dei est.

B

Ideoq;

Ideoq̄ censeri potest aequè reus,
 Qui negligenter esurit verbum Dei,
 Quàm qui sacram impiè Synaxin respuit.

Iudex Præposterus.

Velle arguendi auctoritatem sumere,
 Nullâ sui emendatione præviâ,
 Est optimè velle alteri, sibi pessimè.

Miracula Satanae.

Nulla facit propriè Satanas miracula, verùm
 In mirabilibus se probat artificem.

Fercula porcorum.

Qui sedet ad mensas, nec eas prece conse-
 crat, hirtus
 Assidet ut porcus, surgit iners asinus.

Civile Bellum.

Civilibus sunt misera Bellis omnia:
 Ipsâ nihil miserius est victoriâ.

Calcitro duriùs Vapulat.

Ad quæ venire nostra Fata nos jubent,
 Ad hæc eamus, ne trahamur duriùs.
 Maritus subjex, Græcis

γυναικὸν κρατῆμενος.

Cæcus homo miser est: magis est miser iste,
 rebellem
 Qui non uxorem fuste domare potest.

Menda.

Mendacii structura.

S Ifutile edificare vis mendacium,
Prius tibi est demolienda veritas.

Renunciatio favoris, est odii susci-
tabulum.

S Vo quidem renunciare quilibet
Potest favori: at cum renunciatum ei est,
Odium renunciator attrahit sibi.

Maritus quomodo fiat adulter.

V Elut alienâ, qui suâ cum conjuge
Concumbit, est adulter ille, at ipsa non.

Periculosior Regum conditio, quàm
servorum.

Q uàm Regibus, non tam malè est servis: quia
Illi universos, singulos isti timent.

Ἐὐδὲ διαυγές.

M Endacium si diligenter inspicias,
Perlucet, una rebus è tenuissimis.

Medicus *ἀνὸς ἀπληγὸς* esto.

P ER strages hominum Medici est incedere.
terror

Non habet hâc aliquem squalidus arte locum.

Ira divina, Salus est nostra.

I Ra Dei, nostra placida est correctio vita.
Quis sic iratum nolit habere DEVM?

B 2

Alle-

Alleganti propriam turpitudinem
non est credendum.

Qui turpitudinem suam allegaverit,
Nullam facit fidem, nec audiendus est.

Amor alitur amore.

Amor in amantis nascitur animo quidem,
Non crescit autem, mutuus ni redditur.

Lupus, & Populus.

Nullus lupus suis tenetur auribus:
At aure populus maximè ducendus est.

Intra septum & cancellos mane.

Ad actionem separatam ne fuge,
In actione qui tuâ vis vincere.
Et impedis, & impedis plurimum,
Nisi manseris causa tuæ intra terminum.

Testium autoritas.

Productione testium coram foro
Oculatus unus præstat auritis decem.

Te ostende, nec tua.

Vir stultus est, visenda potius omnia,
Quàm semet in suâ domu qui cogitat.

Quemq; sua ornat statura.

Rectissima est statura, quam Natura dat:
Optare majorem minoremve, impium est.

Argu-

Argumenta Logica.

Dialectica argumenta, velle vissima,
 Si copiosa sunt, nocent ut grandines,
 Si gravia sunt, iram minantur fulminis.

Gladius foeminarum.

IN ore foeminae suos enses gerunt:
 Vagina eorum debet ergo percuti.

Leges Civiles.

Leges scholis castissimae sunt virgines,
 Plerumque fiunt in foro meretriculae.

Paulus, & Judas.

DE fine, non Vita Deus nos judicat.
 Tarsensis ille pessime cepit quidem,
 Sed optime finivit: ipsum exordium
 Iudae bonum, sed perditus finis fuit.

Incarceratio die festâ.

IN actione criminali, festa sit
 Licet dies, incarceration tamen
 Conceditur: sed esto iudex providus,
 Verè ut sit ista criminalis actio.

Βραχυτέρας.

Proximitas desideranti ut grata res:
 Ita brevitatis viro occupato consulenda.

Baptismus maturandus.

V Sum Baptismi differre cavete, Parentes.
Nā Sacro quoties huic mora longa nocet?

Vitæ finis in bono, & malo.

U T plus agat boni bonus, vitæ suæ;
Malus, magis fruatur ut Mundo, est amās.

Satanæ potestas.

I N nos potestas traditur duplici modo
Satanæ, vel ad pœnam patrati criminis,
Vel gloriam, quando probamur in fide.

Duplex Avari pœna.

C Olligat ut nummos, rursus ne perdat eosdē:
Has meritò pœnas omnis Avarus habet.

Ἀρετὴ ἀλώβητος.

C ontra virtutem damnū atq; injuria possunt,
Adversus Solem quod nebula atra potest.

Melancholia.

M Orbi melancholici atq; chronici laneo
Pede veniunt ad nos, recedunt plumbeo.

Religio, & Simulatio.

R eligio continetur in cordis fide,
Verborum in officiis latet Simulatio.

Abso-

Absoluta principis forma.

Formam absolutam Principis nil omnium
Melius, sui quàm vel favor populi, exprimit.

Θῶπιες, ἀρετῶν κλωπιες.

In estimatione virtutis tuæ
Metire te, ne crede adulatoribus.
Laudatio, progressionis calcas est,
Sed ipsa non progressio. iudex sui,
In iudicandis alteris fit æquior.

Προκινδυνῶ, Wagenhals.

Qui se credit aquis, cum prona pericula
cernit,
Iste sua vitæ creditur esse satur.

Regnum, servitus est.

Rex Regno, nulli servit Respublica Regi.
Regnū, res populi est, non est res propria Regis.

Scapha, & Uxor.

Qui non habet, quod agat, scapham aut u-
xorem emat:
Abundè habebit iste tunc negocii.

Encœnia in pagis.

Quà Rusticus nil Nobilem curat suum,
Nec Nobilis suum moratur Rusticum,
Plerumq; ibi cruenta sunt Encœnia.

B 4

Deus,

Deus, & Dæmon.

QUÛ sit potens Dæmon, potentior est Deus:
Permissione Ille; Hic suâ ex Essentiâ.

Κοίρανος κυνόφιλος.

QUicunq; Princeps æstimat pluris canes,
Quàm subditos, nasci fuit dignissimus,
Species quòd omnis speciem amat suam, Canis.

Aude, & age.

QUisquis sollicitè de curru cogitat, isti
Aut rota contingit versilis, aut radius.

Senis Temperantia.

HAud temperans verè senex est temperans,
Sed imbecillus est magis quàm temperans.

Mortuus, & Ægrotus.

MORTUI & ÆGROTI penè excusatio par est:
Spirat in ægroto spes tamen una viro.

Amicitiaæ pompa.

QUI nimis indulgent moscho, fætere feruntur.
Sic in amicitia fallere pompa solet.

Epistolæ scriptio.

NULLâ indoles elucet ex re certiùs
Cujusq; quàm per scriptionem epistolæ.

Jur a

Jura vigilantibus scripta.

NE dormias, vigiles necesse, Iura sibi
Tibi subvenire negotio in tuo velis.

Ancilla formosa.

ANcilla formae gratia & vocis placens,
Dominam in suam expugnandam habet vim
plurimam.

Aut Rationi, aut Tyranno.

COgimur immo tandem parere Tyranno,
SI detrectamus Rationem audire jubentem.

Legum Censura.

Cunctarum Legum censura est prorsus inanis,
Sinon Divina Legis imago subest.

Vir & Uxor.

Vir & Uxor sunt corpus Vir & Uxor, corpora vero
Sunt duo, certamen si Vir & Uxor habent.

E Bello fugere, artis est, sed in forti.

Quum forte bellicosus è Bello fugit,
Est artis, haud timoris: insequentem enim
Minimè timet: producit, ut vincat palam.

Αναπράτης.

Alter o qui quid emit, ut vendat statim,
Nil proficit, ni mentiatur splendide.

Σαλας

Facilè superbus - dives haud ferri solet:
Ferendus hinc minus superbus - pauper est.

Satanæ Potestas limitata.

Satanæ potestas limitatur à Deo:
Permissum ei est probare nos, non perdere.

Hostis turbatus.

Hostem, antequam pugnare cœptum sit, suum
Turbare, luculenta pars victoria.

Conventio libertatem infringit.

Communis est aër, eo uti liberum est
Æquè quibusq;, ni vetet conventio.

Planeta maleficus.

Semper Planeta maleficus minus nocet,
Quum fortis est: quum debilis, lædit magis.
Contrarium fit in Planetâ benefico.

Captivitas.

Captivitas patriam potestatem quidem
Suspendit, at de jure nescit tollere.

Scandali utilitas.

Quam sumitur de veritate scandalum,
Nasci expedit, quò salva duret veritas.

Feren-

Ferendo Fatum expugnatur.

L Enius omne malum fit leniter excipiendo:
Nil, præter stimulos, calcitro consequitur.

Sortis & hulceris collatio.

Q Vā nescis sortē mutare, memento ferendā.
Ulcerā qui scalpit, deteriora facit.

Deus, & Cæsar.

D Eus magis timendus est, Cæsar minùs:
Infernū enim ille, modò hic mīatur carcerē.

Egestatis amicitia.

F Ortuna ne nos imparatos occupet,
Amicior nobis Egestas redditor.

Compunctionis utilitas.

F Requenter audire ista, quæ scimus probè,
Obest nihil: sic sæpius compungimur.

Tria experimenta fidelis amici.

Q Vicunq; Amicum vult fidelem agnoscere,
His rebus experitur optimè tribus,
Hereditate, Nuptiis, & Luctibus.

Quinta Petitio.

Q Vintâ petitione si mendacium,
Committitur, tota ecce nulla Oratio est

Per-

Persona Principis.

Non mentibus Persona tantum Principis,
Sed & oculis servire debet civium.

Patientia innupta.

Cur nulli rerum virgo-Patientia nubit?
Immunis à divortio est, cum libera est.

Legis Togatæ violator.

Qui solet adversus Legem peccare Togatã,
Præsumi debet voluisse obstrictus haberi
Pænã, peccanti quam Lex violata minatur.

Γέγων δυσροπέων, & Echinus

Spinosus frustra palmis tractatur Echinus:
Vanum est, morosum flectere laude senem.

Correctio discreta esto.

Correctioni ni comes Discretio est,
Species videri aliquanta Torturæ potest.

Eleemosyna.

Quum peccatorum Ieiunia vulnera sanent
Fæda, cicatrices haud emendantur eorũ,
Si non accedat miserantis pectoris unguen.

Τὸ γῆρας ἀοριτέμνον.

Est terminus quidam omnium ætatum suus:
Certum senectus sola terminum haud habet.

Potior

Potior victimis Obedientia.

Obedientia victimis preponitur.
 Aliena macatur caro per victimam;
 Per obedientiam Voluntas propria.

Testudo, & Princeps.

Ictum est ad omnem tuta testudo, in summa
 Collecta tegmen. quando partes exserit,
 Quodcumq; nudat, mox id est obnoxium.
 Sic tutior magno quies est Principi,
 Cui de tenendo, haud obtinendo cura sit.

Humilitas DEO amica.

Excelsum Deus est: si vis te extollere, cedit:
 Ultrò ad te, si te deprimis, ille venit.

Misera Magistratus.

Intelligendo onus Magistratus suum
 Miser est: ubi haud intelligit, bis est miser.

Princeps theatrum visitans.

Princeps in exemplum theatrum visitat,
 Quo ceteri spectare pacto debeant.

Eventus penes Fortunam.

Initia nostra sunt potestatis quidem,
 Fortuna verò iudicat de eventibus.

Mala

Mala Vxor ἀνεξαγυρίσθη.

Non bene cocta, tamē potis est cerevisia vēdi:
 Cōcoquitur stomachō daps malē cocta bono.
 Nec panes atros emptore carere videmus.
 Unica non vendi prava marita potest.

Simulatores in Aulis.

Suspectos hostes cūm Reges tollere possint:
 In simulatores ipsorum est agra potestas.

Meritricius status.

Cui prae Conjugio meritricia vita probatur,
 Isti prae Caelis infera regna placent.

Ne tenta, ne tentere.

Fortunam alterius temerē tentare caveto,
 Ne te tentatae fortē ruina trahat.

Imperium in Imperio.

Improbus est subitoq; suo privandus honore,
 Quisquis in Imperio cogitat imperium.

Oscula inter amafios.

Osculum, & amplexus nihil arctior auget a-
 morem,
 Exercet tantūm: dubium intermissio reddit.

Robur extrarium.

Respublica haec vinci potest facillimē,
 Cui robur est extrarium, haud vernaculum.

Prin-

Principes benefici, quomodo sint
malefici.

V Ita & salutem plurimorum consulunt
Benefacta per sua Principes: ob sunt tamen
Magis per errores suos. dant & necant.

Sibi conscius.

Q Viconsciis male est sibi, quoties scelus
Refert alius, cogitat de proprio.

Silentium, vindicta tuta.

S I vindicare vis tuas injurias,
Funestam ei plagam dedisti, si siles.

Maledicus, maleficus.

A Malefico distat maledicus per parum:
Occasionem quando habet, jam factus est.

Paupertas Aulica.

P aupertas plerisque hodie grassatur in Aulis.
Quei fit? deglubunt Subjectos nequiter. Aula
Mendicant, quando mendicat subditus illis.

Sat citò, si fac bene.

V Ir tutum longis ambagibus itur ad arcem.
Illò qui cupiet currere, serò venit.

Levitas morum, libertatis anfa.

S Ape leves faciunt mores, ut vivere liber
Possit, sub seruo qui fuit antè iugo.

Impe.

Imperator.

Votò expetendus Imperator est bonus:
Tolerandus est, quemcunq; dat successio.

Paupertatis amor.

Ob unicum hoc amanda paupertas venit,
Qui nos ament, quòd una mōstret publicè.

Donatio inter Conjuges.

Contractus emptionis inter conjuges
Celebratur: at donatio illorum irrita est.

Coactum beneficium.

Quisquis coactè benefacit, nihil facit:
Quiq; ex timore munis est, fraudem ligat.

Causa possidentis?

Quum de duorum fortè queritur lucro,
De jure causa possidentis melior est.

FINIS.



Epulæ Apollineæ,

SOBRIIS MUS-
SARUM ET CHARITUM
HOSPITIBUS, SINCERÆ AFFE-
ctionis, & mutuæ benevolentiaë eliciendæ
ergò, liberaliter appositæ, & ad suaviter fruendum fa-
cili manu & animo prolixo; sine ullâ in-
vidiâ, distributæ

à

MATTHÆO ZUBERO,
NEUBURGENSE AD ISTRUM PA-
lat. Poëta Laur. Academico, apud inclytos
Norimberg. p.t. ἀστυζέται.

SENECA LIB. DE BEATA VITA, cap. ult.

Quare tale ocium (de literario loquor) non conveniret bono vi-
ro, per quod futura secula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed
apud omnes omnium gentium homines, quicumque erunt?

ISIDORUS LIB. 3. de summo bono.

Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit. Que enim
nescimus, lectione discimus, & que didicimus, meditatione
conserbamus.



NORIMBERGÆ,
E typographéo Simonis Halbmayeri:

M. DC. XXII.



JUSTUS LIPSIUS.

*Sicut in publicani popularemq; viã omnes
semitæ conveniunt: Sic scribentium
nostræ stipes in commune generis hu-
mani ærarium inferuntur.*

IDEM CAP. OCTAVO INSTI- TUT. EPISTOLICÆ.

Summum in sermone vitium est, non solum
non capi, sed etiam ægrè capi. In quo peccant qui-
dam naturâ, qui ipsi obscuri & reconditi talia effe-
runt: plures studio, qui nihil doctum aut laudabile
putant, nisi reconditum, & quod fugiat vulgares
mentes. Stulti! quia malè ingeniosus ille, ad quem
capiendum opus est ingenio, &c.

EPULI HUIUS DIRIBITOR ZUBERUS.

*Vivitur ingenio: rapida sunt cætera mortis.
Felix, æternum quem sua Musa facit.*



Nobilissimo,

CLARISSIMO EXCEL-
LENTISSIMOQUE VIRO, DN. HI-
ERONYMO BESLERO, Philos. ac Med. D.
Promoto, Inclytæ & Amplissimæ Norimberg.
Reip. Ordinario primario:

DOMINO AC PATRONO SUO
*summè honorando, ἀγαθῶν ἀγαθίδα ὀλο-
ψύχως precatur*

MATTHÆUS ZUBERUS, NEU-
burgas ad Istrum Palatinus, P. L.



*Vidquid ad meã porrò accedet cum
vitã tuã famam, cui secundum Deum
περὸ λαῖνον acceptum debeam ferre, neminem
habeo agnoscoq̃, medicinam si considero,
quã te, Nobilissime DN. D. BESLERE,
cujus manus felix, animus promptus, & consilium peru-
tile intermisso nõn nihil Musarum cultui me velut postli-
minio, ingenti certè φιλομαθοῦντων jubilo, restituerunt. So-
llicitè agendis cogitanti de gratis (referre, Deorum est)
presentem Apollo subministravit materiam, ante morbiũ
(ne quis temerè judicet) natum, tantis quidem meritis
nullo modo parem, sed affectu penè. Si meam ob factos
in pharmacopobio sumptũs in memoriam descendo: præ-
dicoper benignam & à se talem splendidissima VOLCA-
MERORUM gentis erga me affectionem, & Christia-
nam*

A 2

nam

nam συμπαθῆσαι, cum ἡμιθανῆς (semianimis) an irem, am-
 biguum, an reperem: quæ tantò major mihi haberi debet,
 quantò minùs roganti, & magis indigenti, ultrò argenta-
 riam tulit opem, ac de solutione nihil anxium esse jussit:
 cujus rei publicè meminisse, nonnulla hostimenti mei pars
 est: nonnulla, inquam: τὸ γὰρ σὺλόλον ἀποπνύοναι, eorum est,
 ad quos nomen Beslerianum delegavi. Quod utringq; be-
 neficium, divinum potius, quàm humanum, eos etiam si-
 bi quodam ἀγνωμοσύνης jure obstringit, qui qualemcunque
 meâ è Poësi fructum percipiunt: Veluti non pauci sunt,
 qui præter alias causas, quas domi habent, maximè tamen
 μακροβίωσιν & διεσῆς ἀφθονίαν ob studium illud suspiciendū
 mihi exoptant: quod votum eò jucundius est, quò magis
 rationem habet ducem, & plurimum utilitatem respicit.
 Quam ipsam ob causam omnino confido, geminum hunc
 aphorismorum poëticorum quàm proximè ad epigrammata
 accedentium oëternionem tantò Clariss. T. Excellentia fo-
 re acceptiorem, quãtò plus Bono Publicò servit, & quò dis-
 junctiora in loca, ad splendidum gloriæ tuæ incrementum,
 & optabilem nonzini eternitatem, meâ parariâ mittitur
 operâ, manibus non invitis hasurus. Cætera, quæ propter
 chartæ angustiam exprimi non poterant, compensabo pre-
 ce ad Deum pro stabilitâ incolumitate, quâ salvâ salvi
 sunt, salutem à te qui rogant: quod in me sigillatim com-
 probatum fuisse, scriptio hæc & dedicatio testes sunt locu-
 pletes: quarum fide Veritas semuniri optabat, voti sui me-
 ritissimo finem consequuta. Quibus vale, Nobiliss. &
 præclariss. DN. D. BESLERE, & suspensum hoc in Gra-
 tiarum Æde donarium agnosce. Dab. Norimb.

Cal. Mans, 1622.

ΦΥΛΑΞ



ΦΥΛΑΚΤΗ-
ΡΙΑ ΚΑΙ ΑΜΥΝ-
ΤΗΡΙΑ CHRISTIANORUM
adversus assaultus & impetus diabolo-
rum, sunt Preces, Lacrumæ,
Gemitus.

DAtere qua Satan videt, vel firmiter
Nō clausa; quodā querit astu irrūpere,
Et ipsam ad arcem pervenire spiritus.
Custodias animā ergo, & omnem te pro-
Prece munias lacrumisq; item suspiriis. (bè
Non est potestas ulla ei, nisi tu velis.
Quid civitatis usui est custodia
Totius hostes contra atroces, si unicum
Rabidis foramen hostibus relinquitur,
Intrare quo queant, apertum incautiùs?

Spiritus Sancti τὸ ἐνεργητικὸν in divini ver-
bi auditoribus.

Ni corda Sancti repleat audientium
Vis Spiritus potens, ad aures corporum

A 3

Emissa

*Emissa vox doctoris incassum sonat.
 Formare vocem exteriùs ut quidem queat,
 Interiùs illam imprimere non tamen potest.*

**Pœnitentiæ procrastinatio, voluntaria
 sui est everfio.**

*NE pœnitentiam, ô Homo, differ tuam.
 Corvina vox cras cras fefellit plurimos.
 Ad arcem enim nullus reversus corvus est,
 Reversa sed columba. Pœnitentiam
 Si tunc ages, peccare quando non potes:
 Peccata dimisere te; non ista tu.*

**Muneris ostentatio, jacta-
 tio est.**

*Qui vult de dandis laudes acquirere donis,
 Clanculum, & amoto tradere teste velit.
 Qui largiturus quicquam præmonstrat amico,
 Ut videant alii: dat sibi, non inopi.*

**Animus humanus, jam Rex, jam
 Tyrannus est.**

*Modò noster Animus Rex, modò & Tyrannus est.
 Rex est, honesta quando facta respicit,
 Sibiq; commissi salutem corporis
 Curat, nihilq; turpe quod sit, imperat.
 Ubi delicatus, cupidus est, ac impotens:
 Notatur infami Tyranni nomine.*

Tria

Tria DE I Regna.

*Tria Regna habet DEUS, Creator omnium:
Potentia unum, Gratia unum, & Gloria.*

Reciprocus Sacrae Scripturae in Φιλα-
αναγνωστis effectus.

*Quò Bibliis plus proficit quisquam Sacris,
Ab eis in ipsum non minor profectus est.*

DEUS omnium quidem est *περγνώ-*
στης, sed non *πεκτής*.

*Præscit DEUS, quorum actor est ipse, omnia:
Sed non tamen, quæ præscit, omnium actor est.*

Satis, non diu vivendum.

*Ne, quò diu, cura, sed ut vivas satis:
Fatò, ut diu vivas, opus; animò, ut satis.*

Sapiens, & amens.

*Affectum sapiens non indicat omnibus; amens
Indicat: abjectum se magis inde facit.*

Divi Petri poenitentia.

*Postquam fidem se perdidisse fleverat,
Multò inde Petrus factus est fidelior,
Ideoq; retulit ampliolem gratiam,
Quàm perdidit: res tanta Pœnitentia est.*

Magisterium Spiritûs Sancti.

Quæ non docere vult Magister maximus,

A 4

San-

*Sanctus videlicet DEI ille Spiritus,
Scire ista nolle, inscita non inscitia est.*

Indemnitas Astrologi.

*Qui quempiam prædixerit furem fore,
Astrologica peritus artis quando sit,
Injuriarum illi actio intendi nequit.*

Degener filius, filius est.

*Legum licet contemptor & sit impius
Pater, tamen pater est: ita improbo quoque
De filio ac degenerere rectè dicimus,
Patris ipsum, utut talis sit, esse filium.*

Res locata.

*Domino irrequisito locatam rem sibi
Locare conductor potest licitè alteri.*

Sera sui defensio.

*Factâ Rei damnatione, seriùs
Adhibetur innocentia defensio.*

Inanis est actio, quam debitoris inopia excludit.

*Quam debitoris vita inops excluderit,
Inanis illa habetur, & verè actio est.*

Fabula.

*Vim veritatis non habet; rationem habet,
Ut juxta eam manifesta fiat Fabula.*

Convi-

Convicii excusatio.

*Interpretatione qui convicium
Excusat, incusat magis, ni cautus est.*

Aulici Vulpleni.

*Cui pruriant aures Novis, figmentum ei
Pro veritate obtruditur sapissime.
Artem hanc tenent probè Aulici Vulpleni.*

Nanus es, mane.

*Damnat opus Domini, si quem pudet esse pusillum.
Non qui vis magni possumus esse viri.*

Hostium armenta.

*Non irruendum in pecora temerè est hostium:
Nam saepe ibi insidia latent certissima.*

Vana est sine viribus ira.

*Instructa corda fœminarum sunt dolis:
Sed vis negata ridet illarum strophas.*

Superstitio inquires?

*Quisquis superstitione vanâ imbutus est,
Quietus esse nullibi & nunquam potest.*

Rex supra suos est, non
extra.

*Elato Princeps animo non esto. modestè
Supra; non extra se putet esse suos.*

A 5

Captui

Captui auditorum seruiat
orator.

Qui non ad auditorium formare se
Potest suum, sua singulis ut congruant:
Ambigitur, utrum plus struat, quam destruat.
Ubi conscientiam reatus vellicat,
Linguam timor confusionis arguit.

Casus.

Non rebus in nostris parum Casus potest:
Nec mirum id est: plerique casu vivimus.

Nundinae copiosae.

Tres feminae, tres anseres, ranaeque tres,
Anatesque tres, sunt copiosae Nundinae.

In officio inofficiosus.

Injussa praesumens sacris in rebus, in
Ipso suo officio homo inofficiosus est.

Consuetudo.

Contra divinum jus Consuetudo, vetustas
Erroris potius, quam consuetudo vocatur.

Mala emptio.

Ingrata semper emptio mala est, eò
Quòd exprobrat domino suam imprudentiam.

Pulex

Pulex, & Elephas.

*Minimum licet Pulex sit animal, maximum
Tamen elephantem vincit in saltu suo.*

Commemoratio frequens beneficii,
exprobratio est.

*Quisquis commemorat nimium sua munera: jactat,
Exprobrat, & tali nomine nulla facit.*

Accursius *ὁ ψυγιδὴς.*

*Jus demum didicit seris Accursius annis,
Quo se soletur, segnis Asellus habet.*

Vigilandum, & agendum.

*Si nil agas, Fortuna, item Victoria,
Non devolabunt in tuum è caelo sinum.
Vigilando, agendo, floret omnis civitas.*

Usura moram castigat.

*Usura non propter lucrum petentium
Infligitur, sed ob moram haud solventium.*

Testis classicus.

*Haud in divitiis, verum versator in unâ
Cujuscunque fide testis idoneitas.*

Musica.

*Præcones muti reliquæ sunt Numinis artes:
Dicta & facta DEI Musica sola canit.*

Dona

Dona donatariis congruant,
*Qui feminae qui vè arma venatoria,
 Donat seni, libròsve inertì Rustico,
 Aut literis qui rete donat dedito,
 Dat munera ingrata & supervacanea:
 Quòd congruunt dona donatariis.*

**Pecunia, & ancilla est & do-
 mina.**

*Pecunia est ancilla, tantùm uti scias:
 Si nescias, est imperatrix pessima.*

**Quod tutum, non item secu-
 rum est.**

*Nocentibus contingere, ut lateant, potest:
 Latentibus verò deest fiducia.
 Quum tuta sint, securi non sunt crimina.*

**Necessitas, nausæ condi-
 mentum.**

*Hoc maximè Natura nobis præstitit,
 Necessitas quòd excudit fastidium.*

Μετρησιολέχης ουδενόσωρ.

*Acuta disputantium deliria,
 Subtilius contemnere est, quàm solvere.*

Victor sui, propriè victor est.
Qui vincit armis, vincitur vitis suis,

Laudem

*Laudem pusillam maximo spurcat probro.
Victor sui, cum laude demum victor est.*

*Ne quid nimis opta.
Immodico noli quicquam tibi poscere voto:
Ablatum, furtum creditur esse tuum.*

*Laus falsa, apertum est
crimen..*

*Qui prædicatur optimus, cum pessimus
Sit, prædicatio ejus accusatio est.
Hinc expedit, carpi palam, securius.*

Chymixæ canon..

*Ubi magna virtus à DEO posita est, ibi
Custos eidem difficultas ponitur.*

*Τῆς κτηδευστικῆς βραβεῖον ἡ μεγα-
λογνωμοσύνη.*

*Mutare nulli possumus rerum statum:
Id possumus, magnum animum in illis sumere.*

Duæ in glossa opiniones.

*Opiniones, glossa, quæ refert duas,
Amplectiturq; neutram earum, ad alteram
Videtur inclinare, quàm primam, magis.*

Ἐγὼς οὐ δυσεῖνος.

*Celari scabies, & tussis nescit, & ignis.
Sic facili signo proditur omnis amans.*

Fuga

Fuga libidinis.

Vitiis oportet ceteris resistere:
 Contra libidinem haud repugna, sed fuge.

Curiositatis elusio.

Ubi Deus sit, si roget te quispiam:
 Ubi DEUS non sit, prius dicat tibi.

Lex imperfecta.

Quâ devianti nulla pœna statuitur,
 Perfectionem lex suam illa non habet.

Gratiæ & legis finis.

Ut Gratia acquiratur, ipsa Lex datur:
 Ut impleatur Lex, DEUS dat gratiam.

Homines argilligenæ.

Omnes sumus nati ex eodem pulvere:
 LARVA unica est HONESTIOR distinctio.

Successio Tristis.

Suo pater cum filio succedit, hæc
 Successio ipso jure Tristis dicitur:
 Naturæ enim mutatus Ordo creditur.

Ebrius, vini mancipium.

Vina potestatis sunt nostræ, quando bibuntur:
 Plus justo, istorum nos, ubi pota, sumus.

Exer-

Exercitus jejunus.

*Ibi nulla disciplina servari potest,
Ubi Dux satur, jejunus est Exercitus.*

Exercitus suspectus.

*Sicuti suus suspectus est Exercitus,
Ne prælium committat hoste cum suo.*

**Majoris & minoris Amicorum
ομαλότης.**

*Se minor attollat, major demittat Amicus:
Hæc aliquantillum sunt ratione pares.*

Animi sedes, affectio.

*Locis videmus contineri Corpora:
Animi locus verò sua est affectio.*

**Invidia est, occupatam
amare.**

*Quisquis amat, multis aliis quam cernit amari,
Invidiâ iste magis languet, amore minùs.*

**Terra communis omnium
mater.**

*Nullus suam extra projici Patriam potest:
Haud ipsa enim; locus ejus interdicitur:
Quia omnium est tantùm una, Terra scilicet.*

Nec

Nec nihil, nec cuncta Princeps
permittito.

*Sub quo concessum nihil est, heu vivere durum:
Durius est, sub quo Principe cuncta licent.*

Usuarius.

*Locupletis instar, vivit usuarius,
Sed moritur, ut mendicus: usufructus in
Heredem enim transire non ejus solet.*

Continentiæ votum in con-
jugibus.

*Haud absque consensu sui alter Conjugum
Vovere continentiam quit conjugis.*

Tentationis utilitas.

*Sicut caro corrumpitur, quæ non sale
Adspergitur: sic anima, quam tentatio
Examinare non solet, resolvitur.*

Politices studium Principes potif-
simùm decet.

*Ars Principi discenda non est qualibet.
Rectè administrandi modum Regni sui
Quæ tradit, illa Heroi abundè sufficit.
Ars ista verò maximarum maxima est.
Habet ergo, quod subinde Princeps audiat:
Discatq; agatq;, si beatum se velit.*

Obse-

Obsequii magnitudo.

Quantum obsequela sit bonum, perfectius
Deus deorum ostendere haud potuit, nisi
Quod vetuit hoc, malum tamen quod non erat.

Amphora, & φιλοσωπότης.

Palponis auscultator est par amphora.
Et haec, & ille circumagitur auribus.

Ἐχάθγήςως θανατόφυξ.

Supra modum qui deditus vivit mero,
Facem quoque exsorbet: pari vitæ modo
Avidus, nec extremâ senectâ vult mori.

Adhibendæ modus iracundiæ.

Humana quando vitia debent corrigi,
Non praesit, immò subsit iracundiæ.

Veneranda semper & ubivis Principum
est appellatio.

De pauperem esse, nemo dicat Principum:
Quia Principatus omnis Eminentia est.
Nec dum i vit ullus ostiatim Principum.
Domesticatim qui rogant, sunt pauperes.

Judicium præcipitantiæ.

Sicut viari qui solent, prævertere
Dum celeritate alios student, impingere

B

frequen.

*Frequenter atque cessitare cernimus :
Errare sic & turpiter labi solent,
In judicandâ qui nimis re sunt citi.
Dilata pœna semper exigi potest :
Exacta non item potest revocari.*

Beatus quis?

*Beatus est, qui cuncta habet, quæcunque vult,
At nil eorum vult tamen, quæ non decent.*

**Celsitudinis gradus, Humi-
militas?**

*Delectat omnes Celsitudo: verum eò
Qui vult, sit humilis: Humilitas quia gradus est.*

**Unius salus, alteri ne esto
fraudi,**

*Si subveniri non potest homini alteri,
Alter nisi offendatur, expedit magis
Neutrum juvari, quàm gravari horum alterum.*

Patria potestas, & adoptio.

*Quo ius potestatis modo patria potest,
Potest eodem solvi & ipsa adoptio.*

**Conditio sepulcri, venditio
fundò.**

*Qui vendidit fundum, sepulcrum quo suum
Habuit, nec excepit sepulcrum, perdidit,*

Parumve

*Parumve certum nomine isto cautum habet,
Nisi in sepulcrum transeat iter publicum.*

**Conscientia servorum Dei
duplex.**

*Servi Dei sit conscientia humilis, &
Tristis: per humilitatem ut haud superbiat:
Maerore nec feratur ad lasciviam.*

Status beatorum in coelis.

*Invidia nulla claritatis disparis
A morte nostrâ in caelo erit, quod in omnibus
Regnabit alma Charitatis unitas.*

**Homo animæ potiorem, corporis curam
gerito parciorem.**

*Major homo est, genuitq; ipsum ad majora Creator,
Quàm qui mancipium corporis esse velit.*

*Quaedam est libertas, contemptus corporis: omnis
Ne tamen hæc fragilis pars odio esto tibi.*

*Pro meliore tui sic, ô homo, parte labora,
Ut querula soleas non minùs esse memor.*

**Deterior est homicidâ, juraturum ad
ἀπὸ θεοῦ ὀρκωπιγῶσαν provocans.**

*Qui quempiam ad jurationem provocat
Majorem, & iste falsa juraturum eum
Scit, vincit homicidam: quod avidus sanguinis
Homicida tantum corpus occisurus est,*

B 2

Ani-

*Animam ille: binas immò perditum it animas:
Ejusce, quem sic provocavit, & suam.*

Τῆς ἀρχαίας δοξασίον.

*Probatio dilectionis, operis est
Exhibitio: hac absente, nec dilectio est.*

Ex prodigo quære.

*Quantum vectigal sit nostris parcere nummis,
Dicere, quæ perit, prodiga turba potest.*

Fiscus Principum, & Lien.

*Fiscus lieni Principum est simillimus.
Distendi enim & tumere non potest lien,
Quin alia reddat arida atque exilia.
Pari modo si gazacrescit Principum,
In subditis necesse decrescant opes.*

*Modi quoque excessus non nihil & ali-
cubi expedit.*

*Modum quod excedit, licet vitium trahat,
Tamen excitanda commodat socordia.
Sic pallium Diogenis, atque dolium,
Luxum exprobrant falsè suum lurconibus.*

Κακὴν ἕξει καὶ σαλευαῖ.

*Quum diabolus, quæ forsitan accisset mala,
Non invenit: bona ipsa flectit ad malum.*

Invi-

Invitus, adoptari non potest.

*Conferrī & invito beneficium potest:
Invitus autem nemo adoptari valet,
Quamvis adoptio quærat ejus commodum.*

Biblica *ἀποδείξις* miraculo æqui-
paratur.

*Ex Bibliis producta demonstratio
Vim non minorem ipsis habet miraculis.*

Arrogantium in docendo
morbus.

*Propriè illud arrogantium doctrina habet,
Ut humiliter non inferant ea, quæ docent,
Nec, recta quæ sapiunt, ministrent commodè.*

Quisq; suos patimur manes.

*Et diviti crux est sua, & crux pauperi:
Utrius utra major, in litem venit.*

Impotentia Satanæ in E-
lectis.

*Oculis Satan carnalium terribilis est,
Sed vilis Electorum in oculis est tremor.
Suggestioni obsiste primæ, victor es.*

Detur humanitati, quod negat-
tur homini.

Natura respicienda, non persona, quum,

B 3

Dan-

Dandum est egenti. non enim datur, quod est
 Peccator: idcirco accipit quod est homo.
 Nec ulla res necessitati serviens
 Requirit erogationis ordinem.

Paupertatis commodum.

Secura & expedita res Egestas est:
 Haud iste consolanens spernendus est,
 Quem divites sanique nulli negligunt.
 Non se peti, cum classicum canunt, putat.
 Si quando conclamatio est facta, haud videt,
 Quid efferat, sed ipse quomodo exeat.

Ἀδράνεια τῆς εὐδρανείας καλούμεν
 ἀνενεργῆς.

Quisquis virtuti propriae scit fidere, nulli
 Invidet. ignavus molitur perdere fortem.
 Sed quid id est aliud, caelo nisi telaminiari?

Mendacii meditatio, & ejusdem loquu-
 tio, ultra deterior.

Deterior est mendacii meditatio
 Ipsa loquutione nonnunquam. loqui
 Plarumque praecipitationis est: data
 Meditari at operam pravitatis perdita.

Mentem potius, quam linguam Deus in-
 vocantis respicit.

Non voce clamosa Deus pulsandus est,

Sed

*Sed conscientia integrâ placandus. haud
Auditor est lingua Deus, sed mentis est.
Audit quidem externum, sed internum probat.*

**Erroris sui correctio, scientiæ est de-
monstratio.**

*Si malè quid dictum est abs te, defendere noli:
Corrige, sic poteris minus erravisse videri.
Nam vitium non est, errorem agnoscere; virtus
Est magis. errori quis non obnoxius ulli?*

**Plus in excelsis periculi, quàm
humilibus.**

*Ut ramus excelsæ arboris levissimâ
Movetur aurâ: dignitatum in culmine
Sic constitutos fama nuncii levis
Conturbat: in convalle formido est minor.*

Agrippa à Agricis.

*Sapientis actûs nulla fortuna impedit.
Si fortè paupertas docere prohibeat,
Quemadmodum tractanda sit Respublica:
Tamen docet, quemadmodum pauper status
Sit sustinendus, sic bonorum rector est,
Sic victor est Sapiens malorum casuum.*

Philosophia.

*Scientiam DI Philosophia nemini;
Ejus facultatem dederunt omnibus.*

B 4

Au

Αὐτάρτες ἀμειπυλός.

Arte in suâ siquando peccat artifex,
Languet pudore, erroreq; ipso offenditur.
Peccata nostræ nos adhuc vitæ juvant.
Non gaudet agrò Medicus elatò: dolet
Orator, ipsi cùm Reo nil obtinet.
Contrà omnibus crimen voluptati suum est.

Sui Usus.

Qui se utitur, verè ille vivere dicitur:
At qui latet torpetq;, sic est in domo,
Ceu conditivo: jurè cuius marmori (AM,
Inscribimus: MORTEM ANTECESSIT HIC SU-

Non cani, sed vitæ merita senectutem
verè probant.

Qui, præter ætatem, diu vixisse se
Grandis senex natu probare non potest:
Ætatis argumentum habet turpissimum.

Convivæ Dignitas.

Conviva, qui primâ ultimus mensâ sedet,
Primo secundâ habetur in mensâ prior.

Consiliis implicatis, proxima Princi-
pum pernicies.

Cui vult suam mutare fortunam Deus,
Consilia ei plærumque corrumpit prius,

Dein-

Deinde efficit (sanè miserrimum quod est)
 Meritò videri ut accidisse, quod accidit,
 Queat, inq̄ culpam casus aliquam transeat.

Fatuellus monetur, ne fiat
 forex.

Qui morsus est ab hoc vel illo versibus,
 Et spargit omnibus platéis publicè,
 De se iste plus quàm confitetur cæteris.

Ικέτης ὑπερβολικῆς αὐτῷ ἐστὶ δοτῆς.

Rogata quicumque ara supplex accipit,
 Partem sibi dedisse eorum se putet.

Etiam paupertati fuus est
 fastus.

Elatio quaedam insolens est pauperum,
 Quos nullæ opes, nec dona mentis elevant,
 Sola in quibus **VOLENTIA** est superbia.
 Hos, etsi opes desunt, tamen mentis tumor
 Plus damnat, ipsos quàm superbos-divites.

Vulneratus, suâ negligentia
 mortuus.

Si vulneratus negligentia suâ
 Sit mortuus, de vulnerato est actio.

Nec paci suum deest martyrium.
 Quum nulla persecutioni occasio est,

B 5

Habet

Habet tamen pax nostra martyrium suum.
 Etiam si enim non colla ferro subdimus:
 In mente carnales tamen recidimus
 Cupidines gladio nocivas spiritus.

Βλαβερὰ κείρα.

Quod scire sæpe divites non possumus,
 Id experimur, quando pauperes sumus.

Præsumptio πρὸ τῆς συρράξε-
 ως ἐπιζημία.

Qui de suis præsumit antè viribus,
 Quàm pugnam ixit, plerumq; mox prosterkitur.

Τῶν παθῶν παύσθαι οὐκ ἔστι.

Affectus omnis hoc habet, ut id, ipse quod
 Insanit, insanire ceteros putet.

Infiniti DEI infinita est mi-
 sericordia.

Tanta DEI Patris est miseratio, quantus est ipse.
 Atqui infinitus DEUS est Pater. Ergo sequetur,
 Infinita DEI quòd sit miseratio Patris.
 Cur igitur desperet homo solamine tanto?

Τὰ συμφυῆ ἀμειψίζονται.

Nunquam exiunt suam leones indolem:
 Aliquando naturam quidem submittere
 Solent feram, commune quod cum tigribus:
 Incautior si nil tamen credas minus,

Exa-

*Exasperatur mitigata torvitas.
Sic vitia mansuescunt bonâ nunquam fide.*

**Scrutinium sensu ne sic sub-
limius?**

*Haud tecta quæ voluit DEUS, scrutanda sunt:
Neque negligenda, quæ ipse fecit publica:
Ne curiositas in illis, néve in his
Ingratitudo pullulet damnabilis.*

Perdita felicitas?

*Inestimabile est malum, sicui parum est,
Quod ipse sit felix, nisi alter sit miser.*

Odium homicidii species?

*Homicidium haud solâ trucidantis manu,
Sed in animo oforis etiam committitur.*

**Indigna remotio, promo-
tio est.**

*Promotor est plerumque, qui remotor est,
Inq̄ meliorem collocat statum inscius,
Qui trux per odium extrudit alterum forâs.
Dulcissimum ô solamen omnium Exulum!*

**Irrita est ejus abstinentia, οὐ βασί-
λισσα ἢ ἀρεγρία.**

*Frustrâ per abstinentiam corpus suum
Homo atterit, si dissipatur interim*

Dimissa

*Dimissa mens inordinatis moribus.
Nec enim necanda caro, sed ejus vitia sunt.*

*Cujusque vita, optimus cui-
que testis.*

*Præconium laudantis haud sanat malam,
Nec conscientiam bonam convulnerat
Convicium. plus testimonio in suo
Est ponderis, mordace quàm convicio.*

AMOR DEI.

*Amor DEI nunquam ociosus est: ubi est,
Effectu ibi est: qui quando abest, non est amor.*

*Occulta sapientiæ à doctorum familia-
ritate inspiratio.*

*Minuta quaedã animalcula, ut mordent cutem,
Non sentiuntur (in periculum a deò eis
Vis tenuis est fallensq;) ni morsum tumor
Ostenderit, nihil videtur vulneris:
Sic cum viro sapiente conversatio,
Quemadmodum quandòve profit, haud vides:
Suo videbis profuisse tempore.*

Τῆς ἐρωτοληψίας ἐνεργήματα.

*Amoris insani, & odii, ferè exitus
Idem est. amore qui furunt pravo, suæ
Optant amicæ exilium, ut exulem queant
Sequi: vovent inopiam, ut ipsi pauperi*

Desi-

*Desideranti dent magis morbum insuper
Optant, ut assidere possint debili.*

*Quidquid inimicus optat inimico suo,
Optant id omne amicae amantes perdere.*

**Si recto semper cursu non licet, u-
tendum obliquo.**

*Si temperatur vinum aquâ leuiusculè,
Ideo tamen minimè esse vinum desinit.
Nihilominus Prudentia est Prudentia,
Etsi minutæ fraudis hac sunt guttula:
Intelligendo scilicet **FINEM AD BONUM.**
Sic sepe fucum mater infanti suo,
Sic Medicus aegroto facit de industriâ.*

**Pauper etiam liberalitatem exer-
cere potest.**

*Fortuna quem noverea fecit pauperem,
Æquè suo esse liberalis scit modo.
Qui de tuis, Fortuna, dat nihil, tamen
Dat de suis, si scilicet se Gratiis
Donaverit, quæ certa compensatio est.
Sic liberalitatis exsurgit seges
Nonnunquam in ipsâ angustia indigentia.*

**Ira moderata, salutaris est disciplina-
rum magistra.**

Doctrina nil, nulla est ubi ira, proficit;

Nec

Nec stare iudicium potest: compescere
 Nec criminosos facile eâ amotâ vales.
 Peccare cum causâ; sed absque non licet.
 Patientia est virtus quidem pulcherrima:
 Ratione si tamen prius non utitur,
 Vitiositatem seminat, socordiam
 Nutrit, malosq; ad prava non tantum allicit,
 Sed et bonos. heic cautione ergo est opus.

Homo cognitus.

Veram hominis estimationem habere vis,
 Qualisq; sit, no visse? nudatum inspicere:
 Suum jube patrimonium deponere
 Cum dignitatibus & suis honoribus
 Aliisq; Fortune vaga mendaciis:
 Exuere manda corpus: id quum feceris,
 Animum intuere demum, & inde perspicere,
 Qualisve sit quantusve sit, suone sit
 Magnus, alienone? ratio probandi ea
 Et optima est & omnium certissima.

Usura.

Pecunia usurarii par aspidis
 Est morsui. percussus etenim ab aspide,
 Dulcem velut demissus in somnum ruit,
 Et per soporis suavitatem exstinguitur,
 Quoniam venenum membra tunc per omnia
 Currit latenter. Qui sub usurâ accipit,

Sub

Sub tempore quasi sentit is beneficium,
 Usura per opes serpit ejus interim,
 Totasq; tandem in debitum illa pertrahit.

Affectuum eorumque curationis diversitas.

Haud unus agrotis salutis est modus.
 Hic per cibum reficitur, abstinentiam
 Tenuatur ille: mollia hic lavacra vult,
 Spatham ad levanda querit ille vulnera.
 Diversitatem remediorum scilicet
 Diversa poscit passionum qualitas.
 Premendus est distinctione homo ferox,
 Mansuetus admonendus est civiliter:
 Caute dolosus, leniter simplex venit
 Tractandus. unaquaq; re Prudentia,
 Magistra casuum omnium, requiritur.

Meditationum genera.

Meditationum genera traduntur tria.
 Unum in creaturis: sacris in literis
 Unum: unum in ipsis moribus. primi quidem
 Causa est, creationis admiratio:
 Causa est secundi, lectio: sic tertii
 Negociorum exacta circumspectio.
 Nam questionem gignit admiratio,
 Paritq; disputationem questio,
 Inventiamen denique inquisitio.

Ἡ δὲ δεικνύουσα, οἰκεία τῶν ἀρετῶν
δεικνύεται.

Discretio imponit modum virtutibus,
Sine quâ frequenter vitia sunt ea. timor
Ubi est, ibiq; non simul discretio,
Damnata surgit inde desperatio:
Ubi dolor, nec est ibi discretio,
Amaritudo virulenta nascitur:
Ubi est amor, nec est ibi discretio,
Promanat inde turpis assentatio:
Sic leta mens in dissolutionem abit:
Sic ira vergit in furorem, nobilis
Nisi hanc & illam temperet discretio.

Τ Ε Λ Ο Σ.

